



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum IV. Decretalium, per viginti, & unum Titulos distributum, De
Sponsalibus, Et Matrimoniis, eorumque impedimentis, ac dispensationibus,

...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1702

§. XIX. An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex defectu ætatis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73058](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73058)

§. XIII.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento impotentie.

1182. Hæc questio juxta communem Doctorum sententiam non videtur hic habere locum; cum talis impotentia jure naturali dirimat matrimonium, esto Pontius, ut diximus supra, velit esse juris tantum Ecclesiastici. Cæterum esto matrimonium perpetuo impotentis cum potente revera sit nullum; tamen, ut dictum est in tit. 15. si contraxissent, & posteaprehenderetur unus impotens, possent, si vellent, simul manere solo fraternæ societatis vinculo, & casto amore constricti, sed separati thoro, & abstinentes ab omni usu carnis impudico, etiam per tactum, ut decrevit Lucius. III. in c. Consultationi. 4. & Cælestius. III. c. Laudabilem. 5. de Frigid. Not. tamen, si non continerent; nec, propter occasionem continuam, continere possent, eos teneri contra matrimonium reclamare, ut judicio Ecclesie separarentur; ne in peccatis, & proximo eorum periculo perpetuo vivant, de quo V. Sanchez l. 7. d. 97. à. n. 4. & alios.

§. XIV.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex defectu ætatis?

1183. Questio procedere potest solum in casu, quo est defectus ætatis legalis. Nam defectu ætatis naturalis, ubi scilicet necdum adest maturitas judicii ad consensum cum requisita deliberatione præstandum, matrimonium jure naturali est irritum, consequenter in eo defectu ab Ecclesia dispensari non potest: secus est, cum deficit ætas jure solum humano requisita, de quo dictum est in tit. 2. à. n. 585. Et in eo defectu Pontificem posse dispensare, non est dubium, cum jure solum Ecclesiastico præter impedimentum. Circa dispensationem in hoc impedimento.

1184. Not. 1. cum minoribus, non habentibus legitimam ætatem, jure Ecclesiastico præscriptam ad matrimonium, Episcopum posse dispensare, ut illud incant, quando prope illam ætatem sunt, & dubitatur, an malitia suppleat ætatem? sic Barbo. de jure Ecclesiast. lib. 1. c. 11. §. 6. n. 187. & ratio est ex dictis à n. 2044.

Not. 2. quando conjuges sunt teneræ ætatis (cum facile decipi poterint) & inci-

Tom. IV.

piunt sibi displicere, eos juxta de Justis l. 2. c. 10. n. 33. posse dispensari super matrimonio rato tantum, & non consummato; quod talia matrimonia cateroquin infelices exitus habeant; alij tamen negant, ut constat ex dictis à n. 1621.

Not. 3. si matrimonium celebrandum sit per Procuratorem, in hoc non requiri ætatem jure civili requisitam; sed eam sufficere, quæ habeat usum rationis, ut sui Principalis consensum explicare possit; ita Sanchez l. 3. hic. d. 41. n. 8. cum nec in Testibus exigatur ætas major per dicta alibi.

Not. 4. quando constat, quod malitia suppleat ætatem ad matrimonium requisitam; non requiri dispensationem; quia tunc non est defectus ætatis legalis, ut constat ex dictis à n. 601. sic Reginald. in praxi fori penitent. l. 31. c. 22. n. 171. si tamen esset dubium; necessaria foret declaratio: quia, cum ea qualitas non præsumatur, & (si absit) præstet impedimentum valori, non procedit casus, nisi cognitâ causâ per Episcopum declaratur non obstare, ad cavendum scandalum. V. Sanchez l. 7. d. 105. n. 4.

§. XV.

An, & qualiter dispensari possit in impedimento ex clandestinitate;

Potissima difficultas est, quando matrimonium clandestinè contractum est, præsertim, si etiam consummatum. Nam in matrimonio celebrando clandestinè secundum quid (nimirum vel omisiss, vel postpositis, aut breviter denuntiationibus) dispensare posse Episcopum ex causa, constat ex n. 684. Ut autem matrimonium celebretur clandestinè simpliciter, seu sine præsentia Parochi, & testium, dispensare quidem potest Pontifex, sed non nisi ex causis gravibus: quoad reliqua.

Not. 1. in casu, quo matrimonium cum impedimento in gradu prohibito clandestinè (culpabiliter nimirum omisiss tantum denuntiationibus) celebratum est in facie Ecclesie, & consummatum, Pontificem moveri ad dispensandum in eo impedimento ex causa, de qua n. 2096. nimirum ad evitanda scandala, quæ verosimiliter timentur, nisi matrimonium legitime, ac rite contrahatur. Item ex alijs, ut periculo incontinentiæ, infamiæ, quod mulier deberet innupta manere, vel cum periculo

Yyy

periculo